



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1312 Usque Ad Annum 1351

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1767

VD18 9011826X

§. 25. Litteræ Sanuti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66305)

Sæcul. XIV. lem benevolentiam. Alter canon reno-
 A.C. 1326. vat tertium decimum concilii Rupe Fide-
Sup. lib. 90. li anno 1302 celebrati per Archiepisco-
 §. 14. pum Confalvum ad reprimendas usurpa-
 tiones iniquas direptionesque bonorum
 Ecclesiæ. Additur, illum, qui hanc ob
 causam diris devotus aliqua in diocesi
 fuerit, in cunctis reliquis proscriptum iri,
 si Episcopus læsus id desideret.

§. XXV.

*Litteræ Sanuti.**San. ep. 7.**Rayn. 1324,
n. 39. 40.*

Sanutus Venetus pergebat omni opera
 eniti, ut gereretur bellum sacrum.
 Anno 1324 hac de materia Imperatori
 Andronico Palæologo hunc in modum
 scripsit: Sat diu in aula Romana, demum-
 que in Gallica versatus, ut de rebus
 Palæstinæ agerem, ex quibusdam Reli-
 giosis, qui apud Majestatem tuam, ac
 præsertim apud Episcopum Caffensem
 fuerant, te ad Ecclesiarum concordiam
 probe affectum comperi. Lætabar enim-
 vero gnarus illam ad exequendum tran-
 situm in terram sacram plurimum servire,
 ac bonum esse maximum, quod in hac
 vita possit fieri. Itaque hoc de argumen-
 to locutus sæpe sum multis Cardinali-
 bus, ac Proceribus Franciæ, Regi Ro-
 berto, Petro de Via Papæ nepoti, præci-
 pue autem Guilielmo Hannoniæ Comiti,
 Caroli

Caroli Valesii genero, Gualterio de Castellione rei bellicæ summo in Gallia Præfecto, ac Roberto Bononiæ Comiti, magnam in regni administratione partem habentibus. Etiam cum Præsulibus non paucis mihi sermo fuit de iis, quæ ad honorem & securitatem Imperii tui attinet: & optime comparatos vidi. Proin me offero ad hanc Ecclesiarum concordiam curandam cum Romana curia, Carolo Valesio, cæterisque Viris, quos censebis habiles. Plura alia de hac re Domino Fratri Hieronymo Cassensi Episcopo explicavi: qui Majestati tuæ ea exponere coram poterit.

Sæcul. XIV.
A. C. 1326.

Hanc Sanutus epistolam Venetiis scriptam Episcopo commisit, adjungens commentariolum ei docendo aptum. Aiebat ibi: Græcorum Imperatorem per te scire velim, quæ subjicio: De quærenda bello Palæstina composui librum, in quo demonstro mari recta eundum esse in terras Sultani Ægyptii. Repugnant aliqui, voluntque initium duci ab oppugnatione Imperii Constantinopolitani. At ego multis Cardinalibus, quin etiam Regis Roberti Consiliariis dixi Imperium Græcorum acquiri a nobis, sed acquisitum non conservari posse propter populos ab omni parte finitimos, præsertim ob Tartaros. Ponamus autem nos esse magnam regio-

epist. 8.

regio-

Sæcul. XIV. regionis partem possessuros : non ideo
A.C. 1326. nobis submissæ forent mentes populi, ut
 eum ad Ecclesiæ Romanæ finem re-
 duceremus. Dilucide id docent Cyprus,
 Candia, Morea, ducatus Atheniensis, Eu-
 bæa, ac reliquæ terræ Francorum di-
 tioni obnoxia. Populi earum Ecclesiæ
 Romanæ nequiquam parent: si hoc in-
 terdum præseferunt, ore tantum faciunt,
 non ex animo. Via ad concordiam esset,
 si res persuaderetur Imperatori, cogna-
 tis ejus, & Patriarchæ: sequerentur eos
 subjecti omnes, immo etiam Russiæ,
 Serviæ, Georgiæ populi, Francisque, Tar-
 taris, ac Sultano Ægyptio subditi. Sed
 hunc in finem oporteret nos consentien-
 tem habere Dominum Carolum quo-
 dammodo illi ac hæredibus ejusdem
 præstando damna suorum jurium ad Im-
 perium. Intelligit Carolum Valesiæ Co-
 mitem, qui conjugem duxerat Catha-
 rinam Curtiniacensem filiam ultimi Con-
 stantinopolitani Imperatoris honorarii ac
 ex ea filiam susceperat tunc nuptam Ta-
 renti Principi Philippo Roberti Regis fra-
 tri, ad quem ipsa mortuæ matris suæ jus
 attulerat.